

## AUCTOR LECTORI.

**E**A est de rebus Metaphysicis male omnino, & temere concepta nonnullorum opinio, ut præstantissimæ hujus disciplinæ studiosos viros aspenentur, eosque velut gentem vanissimis cogitationibus & chymæris pastam fastidiosè traducant. Eo usque progressa est perniciosissimi erroris audacia, ut fere pro injuria atque contumelia habeatur venerandum *Metaphysici* nomen. Verum quod tam male & inique apud plerosque audiat præclarissima hæc scientia non *Metaphysicæ* sed *Metaphysicis*tribuendum est. Eadem de causa honorificentissimum olim *Sophistæ* vel *Sapientis* nomen quod *Sophistarum* cavillationibus deinde viluerat, tandem contemptissimum fuit & a Græcis Philosophis repudiatum. Ego vero Institutiones Metaphysicas traditurus, nulla alia meliori defensione utilissimo huic studio honorem atque dignitatem restitui posse existimo, quam si *Metaphysicæ* usum atque abusum exponam.

Metaphysica definiri solet *Entis in ge-*